

choliā aut aliā quādam alicujus morbi speciem, quæ homines ita invadat & afficiat, eas exponit *Voëtius l.c.p.1020.* *Effectus nonnulli in Energumenis ad Dæmonem ibi existentem & agentem necessario reducendi sunt. Sunt autem illi, sermo lingvæ antea planè ignota, revelatio rerum antea incognitarum, etiam absentium & occultarum, vectio & translatio magnorum ponderum, & similes operationes, quæ effectus cum naturæ aut humanæ industriæ atq; arti adscribi non possint, relinquuntur, eos esse referendos ad causam altiore & supranaturalem ac suprabumanam: atq; illa est aut Deus, aut Angelus bonus, aut Diabolus. Non priores duo, quia blasphemie in Deum & pietatem, mendacia in pios &c. ut plurimum illis admiscuntur, quæ nullo modo sunt à DEO aut Angelo E.* Et quam nubem exemplorum confecturi essemus, si Antiquitatis huc apponere vellemus testimonia? *Cardanus Lib. XV. de rerum Varietate c. 16.* unus memorat, quod Romæ in orphanotrophio omnes puellæ (numero circiter 70.) unâ nocte fuerint factæ Dæmoniacæ. *Bodinus Lib. III. Dæm. c. VI.* pueros 30. Anno 1556. Amstelodami simul obsessos fuisse refert. Taceo reliquos Autores, quos vide apud modò memoratum *Voëtium.* Quanta autem sit miseria eorum, qui infausto hoc malo onerati sunt, quilibet sibi ipsi facilè poterit persvadere, qui cogitârit, quid sit vexatio non naturalis, homini illata à Diabolo immediatè & localiter (non quoad solas modò operationes, sed ipsam Substantiam,) intra corpus existente atq; operante; & illud ad tempus subigente. Accidit autem sæpe, ut non unus saltem Dæmon unum corpus ingrediatur, sed magnæ eorum copia simul advolet. Quærebat aliquando Salvator ex quodam Dæmone, qui hominem obsederat, quodnam esset ejus nomen? ubi hoc accipiebat responsum: *Legio,* quia multi sumus *Marc.V, 2.* At verò Legio apud Judæos